



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Reverendi Patris Martini Stredonij Soc: Jesu

Schwertfer, Wenzel

Pragæ, 1673

Caput XXX. Sensus & Elogia Variorum de Patre Martino.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43132

CAPUT XXX.

Sensus & Elogia variorum de Patre
Martino.

Dicet universim ab omnibus pro Sancto conclamatus fuerit, quoad vixit P. Martinus noster: opera tamen precium existimavimus, aliquorum sensus in particulari de ipso exprimere, ut tanto magis virtus Viri prodeat in apicium.

Augustissimum Ferdinandum III. securum de Bruna minimè capiendam, licèt fortissimè insultibus Gothicis & Transylvanicis quateretur, fuisse diximus, quod ejusdem Sancti, ut agebat, Viri meritis, persvaserit sibi conservandam in postestate Brunensem Civitatem.

Excellentissimus D.D. Ludovicus de Suches, Turcarum ex parte Domitor, & Brunæ contra Svecos Conservator, in obsidione Brunensi, reclinatorium suæ fiducia, imò & consolationem in periculosa Martis alea, secundum artem Militarem habuit in Patriarcha illo, rebus & eventibus sublunaribus majore, quemadmodum hoc nomine Patrem Martinum vocitabat. Et quia idem Excellentissimus Heros rogatus

190 VITÆ R. P. MARTINI STREDONII S. J.

â me Viennæ nuper, quam habuisset de Venerabili hoc Viro, magni ponderis autoritatem scriptioni meæ addidit: litteras ejusdem ad R. P. Rectorem Brunensem Matthæum Zeidler, hoc in negotio dabat, fideliter refero & infero, quæ sic habent.

Reverende in Christo Pater.

Postequam Anno 1645. Hradistio ad propugnationem Brunensis Civitatis, (cujus mihi curam & Commendam ut ajunt, Dominus Baro de Schönkirch cesserat) contra Svecos, assumptus eram, nactus fui occasionem innotescendi R. P. Martino Stredonio Collegij Rectori. Hujus Viri virtutem & exemplarem Vitam, ita mox suspexi, ut conversationem & ingressum familiaritatis sæpius captaverim, secundum graviores occupationes meas, quas victoriosus eo tempore ad Jankoviam Svecus (die nisi fallor 5. Martij ad annum 1645.) occupatâ Moraviâ, & cis Danubium Austriâ, per coeptam obsidionem Brunæ, tutelæ meæ commissam, ab initio Martij ad 23. Augusti mensis insigniter facessivit; quanquã Numine propitio, ita virtute ac magnanimitate propugnantium fractus fuit, ut licet duo Exercitus ad infringenda & subjuganda mœnia, (victoriosus nimirum Svecicus & conjunctus

ctus

ctus Pakocianus) grandibus bellicis machinis, quæ globos 40. librarum eructabant, instructi, obvia quæque obstacula, Urbis & Arcis quaerent, nihilominus vires omnes suas militares necquicquam proficere, sed hebetari advertent. Cui certè, in resistendo, virtuti, robur addidisse videntur, ferventes Patris Stredonij preces & jejunia continuata, quibus Cœlo pro tutela & securitate obsessorum, vim inferebat adeò, ut Hostis ipse adhibito quovis Martio conatu ac periculis injectis, inconcussam & infractam animis Civitatem, de tutela Divina quidpiam spirantem, denique, observârit. Defensionis illius tempore, quodcunque minimum à gravioribus occupationibus intervallum habui, visitationi & colloquio cum Patre Martino attribui, semperque ab eodem malaciam & securitatem animi reportavi. Qui sicut amorem ac æstimationem meam, singulari affectu præferebat, ita omnes errores sectæ meæ Calvinisticæ (quæ in hæresi adoleveram) magnâ dexteritate ac discretionem attrectabat. primusque fuit, qui opinionem meam, quam de secta huiusmodi tenueram, in dubium vertit. Unde illi Viro primas conversionis meæ, secundas tribuo Reverendo Patri Georgiæ Pellingæ ab eodem substituto, celeberrimo aliàs Ecclesiasticæ, quem in Castris mecum habueram, retenturum.

turūſque fueram , niſi Clatoviæ in itinere militari vivere deſiſſet. Et licet in animo concluderim primam meam Catholico ritu Gonfeſſionem eidem Patri Stredonio inſtituere, ab eoque velut notoriè Sancto benedictionem pro futura vita excipere : quia tamen Pragæ evocatus & in Provincialis munere diſtentus Pater Martinus ad eſſe mihi non potuit : coactus fui R. P. Carolum de Grobendanque pro hoc pietatis actu Znoimæ deligere.

Atque hæc habui quæ Reventiæ Veſtræ de P. Stredonio informationis gratiâ, referenda iudicavi. Et ſicût adeo exemplarem vitam duxit, ut nullus dubitare poſſit, quin Sanctorum coronæ in cœlo ſit adlectus, ità pro mea parte, nullam Conſiderationem habeo, ut non ejuſdem preces Sanctorum more implorem, quibus mihi Divinam miſericordiam promereatur. Pro mnemofyno verò tam illius Effigiem, quàm aliquorum beatæ memoriæ Patrū ex veneranda Societate, apud me ac meos poſteros, diligenter ſervare ac venerari non intermittam. Viennæ 12. Aprilis, 1671.

REVERENTIÆ VESTRÆ

Studioſiſſimus

Ludovicus de Souches.

Illu-

Illustrissimus DD. Stephanus Comes de Wr̄bna generosas illas, per medios hostium cuneos, suppetias, quibus pulverem tormentarium Brunæ laboranti paucis militum manipulis intulit, Patris Martini precibus attribuit, & ob hoc ipsum fidele ac generosum Cæsari obsequium ad opportunitatem præstitum, Angeli, Brunæ succurentis, nomen à R. P. Martino accepit. Quem verò sensum Brunensis Civitas de Municipali suo septennali, P. Martino, ac perpetuo tandem à morte inquilino habuerit, hisce tabulis publicis, quarum Transumptum huc transferimus, testari voluit:

NOs Consul & Senatus Regiæ Urbis Brunæ in Marchionatu Moraviæ, Universis & singulis salutem perpetuam & omne bonum.

CUm ea quæ decora majorum gesta, perfectione morū & vitæ integritatem præferunt, non modò præsentis memoriæ colere, verū etiam probæ posterorum sive imitationi, sive recordationi ac solatio commendare conveniat: congruit meritò, ut nos quoque illa quæ ad virtutum præstantiam simul, ac vitæ sanctimoniam spectare censentur & ipsimet partim experientiâ propriâ comperta gerimus, partim à Senioribus nostris virisque alijs omni exceptione majoribus tradita observamus; ad universonum

B b

rum

rum notitiam deducamus, & de super in perpetuū robur fidei, publicū veritatis testimonium perhibeamus. Nam uberrimum ævo nostro Orthodoxæ institutionis, & sacrarum familiarum florem (in quo inclyta Societas Jesu instar rosæ præfulget:) & indè emanantem Divini cultus odorem, Urbi huic Cœlitus concessum Zelo Catholicæ Religionis gaudentes, & si tanta quanta DEUS Ter Optimus Maximus in Electis suis operari dignatur, exprimere nequeamus; nihilominus: Noscentes quàm eximijs DEI & Naturæ muneribus, donis, gratijs, moribus, virtutibus & spiritûs Sanctimonia ornatus exstiterit, piæ memoriæ Venerabilis Pater MARTINUS STREDONIUS Societatis Presbyter, natione Silesius Glivicensis, Parentibus Senatorij Ordinis natus; ad requisitionem & instantiam Admodum Reverendi Patris Matthæi Zeidler, ejusdem Societatis Jesu Collegij Universitatis Olomucensis pro nunc Magnifici, antè verò hîc Brunæ Collegij & Domûs Probationis Rectoris; fidem facimus & testamur: Nobis optimè & recenti scientiâ constare, prælibatum Venerabilem Patrem MARTINUM STREDONIUM S. M. munere Rectoratûs in hoc Brunensi Collegio binis vicibus functum fuisse videlicet, & in primis ab A. 1627. die 5. Mensis Sept: usq; ad A. 1629. itidē 5. Sept: postea verò ab A. 1641. die 24. Martij,

Martij, usque ad Annum 1646. diem primam Mensis Julij, & sic, tempus ambarum vicium in unum computando, tribus mensibus supra impletos septem Annos, spatio utique probandæ vitæ sufficientissimo Nobis in Urbe ista cohabitâsse. Qui licet primitivo officij spiritualis sui intervallo allatam huc de se aliunde sanctitatis opinionem, copiosis virtutum suarum Encomijs ita solidè firmaverit, ut his solitis pensatis nefas & piaculum esset, illibatæ vitæ ipsius memoriam, vel minimâ alicujus dubij labe aspergere, attamen omnia hæc magnificæ laudis specimina in postremo Reçtoratûs sui cursu, novis supervenientibus mirificis facinoribus, non tantùm splendidè illustravit, sed etiam apertis Divini Spiritûs misterijs altissimè superavit; Veritatem hujus locupletissimam, vox famæ perennis & Notorietas publica asserunt; Constat namque ipsum intemeratam piam omnique spirituali perfectione eruditam vitam egisse, varias Corporis mortificationes & vitæ austeritatem sustinuisse, illudque fame & siti continuò macerâsse ac penes in officium & preces devotas continuò diu noctûque incubuisse, vigilantissimum oculum & sollicitudinem tum de Collegio sibi commissio, tum de salute proximi gessisse, & sacris suis conversationibus, pijs consilijs, nec non illibato vitæ candore &

exemplo ceu morum & sanctimonix norma in-
 fallibili, omnes Urbis incolas plurimum ædifi-
 casset, insuper etiam, quod in vita ejus singula-
 riter considerandum est, Spiritu verè Propheti-
 co claruisse: Dum enim retroacto 1645. Anno,
 mox post cruentissimum prælium & stragem
 Jankoviensem in Bohemia, Svecici exercitus
 Dux Leonardus Dorstensonius, tunc rugientis
 Vandalici Leonis arma per se formidabilia, &
 suppetijs adhuc Transilvanicis fortiter roborata,
 in oppugnatione Urbis hujus, flagrantissimo
 de recenti victoria Marte movisset, eandemque
 horrenda belli industria & hostili ferocissimo
 apparatu invadendam; obsidione gravissimâ
 cinxisset, felix & gratus DEO Vates præmemo-
 ratus Venerabilis Pater MARTINUS STREDO-
 NIUS obsessum inimicâ feritate gregem Catholi-
 cum & Urbis incolas magnanimitè solatus, &
 prædicendo pollicitus est, nè timerent, Urbem
 hanc nequaquam ab hoste immani expugna-
 tum aut occupatum iri, quod ipse rei eventus
 mirificè comprobavit, siquidem potentissimus
 hostis, licet nihil quod ars, vires, & versutia mi-
 litaris requirere videbantur, intactum inten-
 tatûmque reliquerit, attamen post diram diu-
 turnamque videlicet 16. Septimanarum spatio
 incessanter continuatam obsidionem omnia
 quæ molitus erat, incassum egit, & re infectâ,
 invi-

invictis obsessis extenuatis extremè tam proprijs quàm Transilvanicis copijs, corrupta, alibi obtentâ victricis laude, castra levare, & dedecoroso recessu obsidionem solvere coactus fuerit. Intra ipsam obsidionem autem, hìc verè pius & carus DEO amicus futura contingentia tam conformi successu prænuntiaverat, ut quotiescunque obsessos in hostem irruere contigerit, is instinctu & dictamine supremo, Victores nè, an victi redituri essent præviderit, & nunquam à scopo veritatis aberraverit. Tantus etiam fervor ipsius & fiducia erga DEUM fuerat, ut imminente toties, quoties vel ante mœnia cum obsessis conflictu, vel validissimo inimici assaultu, humi toto tempore prostratus cœlestis brachij auxilium orationibus & suspirijs imploraverat, adeoque hinc & inde congregante certamine, ipse etiam Athleta Orthodoxus & veteranus Christi miles, strenuo labore, & victricis Gedeonis gladio, utpote à Numine Cœlesti toties exauditus, pugnaverat. Quod si igitur ijs, qui pro patria & ejus conservatione, sive in expeditione, sive partitâ victoriâ in quietate occubère, perpetuæ gloriæ vita tribuatur, meritò hæc eadem, & omnino Cœlestis sæpè nominato Venerabili P. MARTINO STREDONIO velut indubitato DEI præeunte Urbis hujus

198 VITÆ R. P. MARTINI STREDONII S. J.

Conservatori, & totius ab ejus incolumitate, tunc dependentis patriæ impertienda est; Considerando præsertim quod is non tantùm uti retulimus, piè, devotè & sanctè vixerit, Christo & unicè dilectæ Sponsæ ejus Ecclesiæ Catholicæ spirituali generositate indefessè militaverit, verum etiam vitam hanc temporalem quum secundò Provincialatûs in Societate munere fungeretur Anno nempe 1649. die 26. Mensis Augusti horâ primâ antelucanâ migrando in lucem inexstinguibilem, placidè cum æterna comutit, corpus in Crypta ad magnum Altare templi Soc: Jesu reconditum quiescit, & instar speciosissimæ gemmæ, & thesauri pretiosissimi, in præsentem futuramq; Urbis custodiã interveniente ejus citra omne dubium in Cœlis gaudente anima, devota veneratione custoditur. Hæc omnia uti præferuntur Nos in antecessum nominati Consul & Senatus fide nostra & Sigilli magni infra appressi munimine in perpetuam veritatem corroboramus.

Actum Brunæ 23. Mensis Novembris, Anno post reparatam Salutem, M. DC. LXXI.

Expeditum in Officio Consulatus D. Joannis Georgij Mezger à Brisach,

L.S.

Georgius Ignatius Kossinsky,
J. U. D. & p. t. Syndicus.

Sicut

Sicut autem à sumis & imis conclamatum fuit de sanctitate vitæ Patris Martini velut indubitata, omnibusque notoria, ità specialissimè Major Nobilitas eundem viventem ac mortuum, venerabunda suspexit; puta in Regno Bohemiæ ceteros inter, Excellentissima Domus Martinitziana, Slawatiana, Sternbergica, Kollowratiana, & plures aliæ: in Silesia, Illustrissima Familia Oppersdorffiana & Wlczkiana, utraque semper Catholica. & hæc quidem Toparchiâ suâ, Natali solo Patris Martini proxima, eo affectu reverentiali complexa est Virum, ut Sacellum memoriæ ac Honori ejusdem construere ac dedicare jam jam voluerit, nisi Divina Providentia & Ecclesiæ Ritus, publicos hujusmodi honores, tantisper latere vellent. Interim Sancto Franciscò Borgiæ titulum honoris Martinus cessit, & Illustrissimus D. Georgius L. B. de Wlczek, in suprema Silesiæ Curia Assessor, Ducatûs Oppoliensis & Ratiboriensis Cancellarius, sic acceptavit, ut Sancto quidem Borgiæ (primùm quod scio in Hereditarijs Cæsareæ, Regiæque Majestatis Provincijs) Sacellum erigere aggressus sit; Vitam autem hanc ipsam Patris Martini, luce publicâ per Typum donârit.

Ad domestica Elogia descendo: Admodum R. P. N. Mutius Vitellefcus pro Angelo virum

virum habuit, Angelumque (scribens in Provinciam nostram) vocavit.

Quidam è Patribus Nostris quid de Patre Martino, vitâ functo sentirent, scribere ac dicere rogati, hæc attulerunt. Dico me sentire (dixit quispiam Vir cum DEO conjunctus) coram DEO meo, quòd omnis ejus sermo, omne ejus silentium, omnis ejus actio, fuerit plena sanctitate, plena ædificatione. Et puto in ejus actionibus vivum exemplar S. Patris Nostri Ignatij reluxisse, & specialiter ex Divina gratia concessum esse his partibus in hoc Viro exemplari, qualis fuerit S. P. N. Ignatius.

P. Andreas Metsch, Vir magnæ orationis & Apostolicæ prædicationis sic sentiebat: Verus imitator S. Martini, de quo & illud bene dici queat: O beatum Virum, cujus anima paradysum possidet! oculis ac manibus semper in cœlum intentus, hic Vir Angelicus, Apostolicus, mortificatus.

P. Henricus Lindanus, Minister Patris Martini Brunæ Rectoris, ità Laureto ex Pœnitentia scripsit: Intellexi mortem Sancti Patris Nostri Martini Stredonij, cujus obitum cum tanto animi mei dolore intellexi, quanto debebam obitum tam cari Patris mei, & cui me debere tantùm fateor, quantum nulli. Sed Sanctus Vir in cœlum abiit, ut certò mihi au-
deo

deo persuadere, propter summas virtutes quas in illo observavi, toto quadriennio, quo cum illo vixi: & cum Missam pro illo dico, Religioni mihi duco, quasi pro indigente illam offerrem, facio tamen sub conditione, ut satisfaciam obligationi meæ, quam ad illum habeo; & potiùs ut pro me apud DEUM intercedat, quàm ut pro ipso DEUM interpellem. Amisit Provincia vestra Virum incomparabilem, & quo majorem non credo me vidisse. Faxit DEUS, ut cum illo in cœlo pariter gaudeamus, si non paribus meritis, saltem ut boni filij cum optimo Parente. Elias fuit ipse; nos simus Elizæi, ut veniat super nos spiritus ejus duplex, Prudentiæ & Amoris DEI.

P. Hieronymus Faber, Rector quondam Wratislaviensis, vir magnæ probitatis & in DEUM fiduciæ, sic ait: Vir omnium horarum, sinè affectûs inordinati aut passionis indicio. sibi severus, alijs benignus. cum DEO conjunctissimus, prudentiâ pollens universali & admirabili, futurorum non omnino ignarus vates.

Pater Ludovicus Schwartz, Vir columbinæ probitatis. Observavi, ait, eum fuisse raræ & profundæ Virum prudentiæ, ac demissionis sinceræ, cum DEO mirificè semper conjunctum, affabilem, amabilem, in colloquijs & congressibus, in Regimine fortem ac suavem

amantemque boni & solatij subditorum, cupidumque ac sollicitum proviforem necessitatum alienarum. Verbo: superiorem talem, qualem S. Ignatius in suis requirit Constitutionibus. Item hominem neglectorem, osoremque sui, boni communis nihilominus studiosum. Virum paucorum verborum apud homines, & linguæ domitorem insignem. multæ verò orationis & pietatis ad DEUM Cœlitésque. Virum, qui bonum animarum promoveret erga proximos foris, quamvis & solitudinem domi in suis urgeret, curarétque in tempore ac loco. Virum occultæ sanctitatis magis, quam notæ multum hominibus. suâ enim poterat mirè tegere ac dissimulare, quæ laudabilia viderentur. Virum denique cui accinere post omnia elogia possimus illud: *Qui pius; prudens, humilis, pudicus, sobrius, castus fuit & quietus, vita dum præsens vegetavit ejus corporis artus.* Cetera, quæ in solemni illo Hymno sequuntur, DEUS providebit, ubi placuerit notam magis facere servi sui virtutem, sanctitatémque per Orbem, à qua bene passim inter Nostros audiebat. quam opportunè Dominus faciet innotescere, ampliùsque clarescere.

Rector olim Iglaviensis Collegij: Quod sanctæ, inquit, memoriæ R. P. Martinum attinet, ego nihil magis suspexi, quam perpetuam in
 omni-

omnibus casibus animi tranquillitatem, & in DEI voluntatem, omnimodam resolutionem, sui per omnia similis semper. Ad decorem Domûs DEI, semper vigilavit, & videbatur quasi in eo augendo perpetuò insistere. Et puto nullum esse in Provincia Templum Societatis, quod ejus operâ vel adhortatione non fuerit exornatum. Mortificationis studium fuit singulare in illo, ceterâsque virtutes puto resplenduisse in summo perfectionis gradu.

Pater Instructor (quondam) *Tertiae Probationis*. Si quis inquit modum R. P. Martini Stredonij vivendi & gubernandi conferat cum S. Ignatij virtutibus & Regulis nostris, tam illius quàm harum sensa, bene expressisse judicabit.

Rector Collegij Niffensis & socius ejusdem in Provincialis officio post plurima particularia virtutum exempla & documenta virtutum recensita, subdidit: Quocunque me verto, sive considero dies & Annos quibus in Societate vixit, sive functiones & munia, quæ in ea obivit; sive exempla & documenta virtutum, quæ nobis dedit; sive ea omnia, quæ & fortiter egit, & patienter toleravit: ubique mihi quasi importunè occurrit, pulcherrimum illud Sanctæ Matris Ecclesiæ de SS. Confessoribus elogium: *Ecce homo sine querela, verus DEI cultor. absti-*

nens se ab omni opere malo, & permanens in innocentia sua.


Denique fama communis tam Nostrorum privata, quàm publica Externorum coronat Elogium piè defuncti Patris. Illum enim, tanquam Virum Sanctum semper suspexerunt, & prædicârunt. Serium in omnibus, in spiritu solidum, prudentem in consilijs, in negotijs expertum, moderatum in agendo, in regendo sedulum & longanimem, in amore & honore proprio, mortificatum. Qui noverunt illum à 20. quique à 30. & 40. Annis, affirmatè laudant omnes ejus in studio virtutum inconcussam constantiam, dicuntque illum sibi semper similem, & unum eundemque fuisse, & ab inita via perfectionis nec latum unguem deflexisse; ac semper fuisse gravem & serium, ab humanis abstractum, cum DEO conjunctum.

Alius quispiam Noster. Erat P. Martinus, speculum Virtutum omnium Societati Jesu, rerum omnium contemptor egregius, odoratissimus fructus ex arbore S. Ignatij, Moyse orans pro populo DEI. In rebus quæ mundus magni facit, videbatur planè Angelus, rebus enim hujusmodi sublatis, & cum dolore aliorum, adeo perstitit immotus, ut omnes admirarentur.

Pater Melchior Jaschke, Vir à zelo & ab humili-

militate ac studio disciplinæ commendatus, hoc
 iudicium scripsit: R. P. Martinus Stredonius,
 per omnem vitam pietatis & devotionis exer-
 citijs addictissimus, nihil unquam intermisit,
 quod vel DEI gloriæ aut proximi salutis promo-
 vendæ sibi persuaderet opportunum. Res Di-
 vinas reverenter tractabat; decorem Domûs
 DEI dilexit; & omnium commodis serviebat,
 sui solius & propriæ commoditatis negliens.
 Sive Collegium, Domum aut etiam totam
 Provinciam Præpositus regeret, ut comem
 & svavem sese exhibebat obsequentibus, ita
 pertinacibus cum longanimitate strenuum ac
 fortem. Cibo potuque vixit parcissimo. mo-
 ribus & vitæ innocentiam Angelo similior. In
 adversitatibus constans & imperterritus. & li-
 cèt omnia sus deque versaret volubilis fortunæ
 rota, DEO summo & immutabili Bono fixus
 adhærebat. In ægrotis curandis maximè pro-
 vidus, quos frequenter invisere & solari, tum
 consilio & medicamentis erigere, tum alijs
 commoditatibus solebat exhilarare. propter
 vitam religiosè transactam, nec non sanctam
 prudentiam, tam Nostris quàm Extremis,
 adeoque Proceribus Provinciæ Bohemicæ, ma-
 gnæ fuit & venerationi & æstimationi.

Patentiæ in continuis penè morbis, fuit
 omnino singularis, & paupertatis amore, vul-

garibus medicinis contentus.  Divinæ voluntati & vivus & moriens, vixit conformis.

Et ego postremus omnium, sensum meum de hoc Viro quem viginti Annis noveram, sæpiusque observaveram, adjungo: Omnia me in illo DEUM solum spirantia vidisse, atque audivisse. Omnium, universaliter loquendo, tam Secularium quàm Religiosorum Domesticorum, etiam primariorum sensu, pro Sancto habitum esse. Reverentiam quandam sacram quocunque tempore videretur, humanâ majorem spirasse. Mèque gratias agere Divinæ Majestati, quòd talem in terris vidissem, & cum illo conversatus fuisset, è cujus similitudine atque idea, conijcio, de alijs Sanctis ab Ecclesia Sancta canonizatis; qualiter nimirum illi, in Mundo virtute sua luxerint, quos nobis videre non licuit, sed per fidem & historiam ac traditionem, memoriâ & cultu duntaxat, venerari conceditur. Speroque in DEO, quòd sanctâ suâ providentiâ, mentes plurium sit excitaturus, qui gratias varias per ipsius merita sunt petituri & impetraturi, Magnúmque

DEUM in hoc Sancto Viro
glorificaturi.

A. M. D. G.